EPISTOLA, Nobilissimi Caroli Mountague, Armig.

Ad Illustrissimum

COMITEM DORSETIÆ,

DE

Victoria Augustissimi Magnæ Britanniæ, &c. Regis,

Gulielmi Tertii,

In HIBERNIA Feliciter Parta.

Latinè reddita a GULIELMO HOGÆO.

****
**
*

Halifax

LONDINI,

Typis JACOBI DOVERI, Anno 1696.

Case Y 185 .H1363

K1490.124.1939
R

AD

Nobilissimum Illustrissimumque Virum

CAROLUM MOUNTAGUE Armigerum.

Vir omni virtutum genere Ornatissime,

EN ego tibi quod tuum ipsius est, offero: nempe poema tuum de victoria Augustissimi nostri Regis Gulielmi in Hibernia Divini numinis benignitate feliciter parta, a me Latinum factum; quod tu Anglicano carmine cum admirabili sermonis elegantia concinnasti. Quam stupenda est in hoc tuo opere rerum varietas, methodi concinnitas, sententiarum suavitas! quam numerosi poeticæ eloquentiæ flosculi! sicut Picturæ quædam, si eas propius intuemur, eo magis oculos capiunt & oblectant, idem de præclaro hoc ingenii tui fœtu possum affirmare. Quantum accessit Musarum amatoribus decus & gloria, quod te non pudeat calamo trivisse labellum, quod hoc tuo poeticæ studio nihil natalibus nec dignitati tuæ derogari existimes! Id circo spero te, munus hoc literarium, quod tibi lætus ac lubens offero, boni consulturum. Deus Omnipotens te sæculi

& patriæ tuæ insigne decus & ornamentum, & eruditionis patronum ac fautorem, diu servet incolumem, & annos tuos in hoc sæculo multiplicet, & in futuro sempiternâ te felicitate coronet. Sic precatur ille, qui est virtutum tuarum admirator, & servus tuus amantissimus,

GULIELMUS HOGÆUS.

AD

AD

Nobiliſſimum Illuſtriſſimumque Virum,

CAROLUM MOUNTAGUE, Armigerum

Ærarii Cancellarium, & Regiæ Societatis Præſidem, &c.

ΕΓΚΩΜΙΑΣΤΙΚΟΝ.

O Patrum patriæque decus, quo carmine digno
Te celebrem? unde tuæ incipiam primordia laudis?
Si genus inſpicitur, nec laus temnenda videtur
Stirpis origo tuæ, ſublimem ſanguinis ortum
Nobilibus deducis avis; ſi gratia formæ
Partem & laudis habet, vultus oculoſque venuſtat
Sydereos inſigne decus, queis turba lepôrum
Inſidet, haud numero charitúmque coërcita certo.
Si magnum ingenium juſtos mereatur honores,
Gloria quanta tui debetur dotibus amplis
Ingenii? Novus es Cicero ſermone ſoluto,
Cumque pedum obſervas leges, Æneida vincis
Carmine. Quanta tuam comitata eſt gratia Muſam,
Prælia cum altiſono celebravit Boynia cantu?
Cum Regni de rebus agis, linguámque reſolvis
Docta in verba tuam, ſubitò longæva ſileſcit
Turba ſenum, atque tuas avida bibit aure loquelas,
Namque trahis totum ſapienti voce Senatum
Mente ſenex, mento juvenis, primóque ſub ævi
Flore ſenilis in eſt juvenili in pectore virtus.
Propterea Socii Cætus Regalis in unum
Collecti, ſtatuêre animis concordibus omnes
Te caput eſſe ſuum, primæ tibi ſedis honorem
Conceſſêre alii, tibi ſe ſupponere gaudent

Sponte

onte viri, fama ingenii memorabile nomen
geis peperit, vulgíque ſupra faſtigia vexit.
uod ſi aliquod morum, vel vitæ labe carentis
pretium, nemo magis omni a crimine vitam
iber agit. Viduis, pueríſque parentibus orbis
unera ſuppeditas dextrâ prælarga benignâ,
quoſcunque agitat ſævis fortuna procellis,
is portum & placida ſtationem in littore præbes;
ſque adeò commune bonum es. Quidnam ergo precabor
ure tibi? multos peragas fæliciter annos
ncola terrenæ ſedis, dein æthera ſcandas,
emplaque ſiderei teneas radiantia Cœli.

Gulielmus Hogæus.

AD

Eundem, cum in Membrum Parlamenti eligeretur.

Applaudit ſacri pariter tibi turba Senatus,
Quod tu nunc Sociis connumerare ſuis.
Applaudunt hominum omne genus per rura per urbes,
Et vox lætetiæ teſtis in aſtra volat.
Quam bene virtuti meriti cumulantur honores?
Quam bene tam celſo fixus in orbe micas?
Diſpellíſque hominum tenebras fulgore coruſco,
Qualis ab æquoreis Heſperus exit aquis?
Quod ſi forte tuum non dedignare clientem,
Conſors lætitiæ qui cupit eſſe tuæ;
Carole, vive, precor, longum fæliciter ævum,
Lux Patriæ, & generis Montaguenſis honos.

G. H.

EPISTOLA Nobilissimi Domini MOUNTAGUE ad Illustrissimum Comitem DORSETIÆ, & de Victoria Regis GULIELMI in Hibernia feliciter parta.

LAurigeri quid turba chori? carpisne soporem?
Aspicis ut populum Gulielmi fama Britannum
Evehat, & super astra poli radiantia tollat?
Edvardúmq; novis veterem nunc ille triumphis
Æquiparet? vestrúmne novo nemo incitus œstro
Exoritur, magníque canit victoris honorem?
Altisonáque tubâ celebrat venerabile nomen?
O cui dat titulum Dorsetia, tu nisi solus,
Laurigeram nemo famoso hoc crimine turbam
Nunc vacuam præstare potest; Heliconis alumnas
Tu quia nempe deas gremio complecteris arcto,
Sustentásque tuis opibus: Tu tempore nostro
Portus, & afflictis statio tutissima Musis.
Sin alios reperire nequis, subsistere tanto
Qui possint operi, post longa silentia tu nunc
Rursus in antiquam redeas revocatus arenam,
Area digna tuo ingenio est hic nobilis Heros,
Heros, laude suâ veteris qui stemmata gentis
Obscurat, radiisque suæ virtutis obumbrat.
Et pennâ magis alta petens, & sidera lambens
Splendida facta patrum superat, celebérsque triumphos
Obruit, æquorei lateant ceu gurgite ponti;

Præ-

ræpetibus quos fama tulit per poſtera pennis
ecula, ut exiguas majoris nominis umbras.
ata ubi præclarum genium producere tentant,
iat ut humanæ magna admiratio gentis,
ræſidiúmque ſimul, generans in amore ſtuporem,
ropoſitis Natura ſuis ſpatioſa requirit
empora, perque gradus ſolet altum aſcendere clivum,
Molitúrque moram, & creſcenti in mole laborat,
naviter ambigui relegens veſtigia fati:
onec ab ætheria fuerant quæ ſemina dextrâ
parſa, coire facit, tandémque Heroa videndum
Exhibet ante oculos, præluſtri in luce locatum.
Atque ita fœlici fauſtóque in tempore vires
Expromit, ſpeciménque ſui demonſtrar apertum.
Naſſoviâ has in gente moras nectebat, in illa
Heroum præîre viam generoſa propago,
Exortúque ſuo clari hæc radiata diei
Lumina, & hunc nitidum propius ſuccedere Phæbum
Signa dedêre. Animus ſtirpem generoſus in omnem
Sparſus erat, virtus pariter cum ſanguine totam
Per ſeriem demiſſa fluit. Tandem ultimus ille
Exoritur, gentíque novum ſuperaddit honorem,
Factaque clara atavûm majori laude coronat.
Floreat ejus honos, placidáque quieſcat in urnâ
Qui Batavos, natale ſolum de fauce revulſit
Exitii: tua ſed præclara ac vivida virtus
Non adeo exiguis clauſa atqua coërcita metis:
Sed per cuncta ſuos ſine limite regna triumphos
Spargit ad occiduas ab Eöo cardine lymphas,
Cordáque lætificat miſerorum dura ferentum,
Atque tyrannorum rabiem compeſcit habenis,
O ævi Gulielme, tui pavor & decus ingens,

Præsidium & requiem afflictis qui gentibus affers,
Et valida rigidos domitas virtute tyrannos,
Quos neque lex, neque jura tenent, neque fœdera strìngunt.
Hunc immensa suum tutorem Europa fatetur ;
Hunc omnes pariter linguæ, gentésque per omnes
Qui pia sacra colunt, justis ad sydera tollunt
Laudibus. Eridanus vehemens, Renúsque bicornis,
Danubiúsque ingens, & Iberûm gloria Bœtis
Hunc celebrant, mirantur, amant, laudántque vicissim ;
Dum ruit in bellum, & pugnæ sese arduus infert,
Communem humani generis defendere causam,
Quos facit ille sui tutos munimine scuti.
Hæc videt hostis atrox, videt, invituísque fateri
Cogitur, hostilem impellit tua gloria linguam
In laudem, Gulielme, tuam, & pia facta resolvi.
Nulláne victuris facta hæc celeberrima chartis
Credere musa parat, venturo & prodere sæclo ?
Nempe hæc fatidicis non inficianda poëtis
Gloria, quod virides annorum a frigore lauros
Defendant, senióque vetent marcescere. Præstant
Ne tegat æternis virtutem oblivio sæclis,
Sub latebrísque suis, & cæca nocte recondat.
Obruit hora brevis titulorum & laudis honores
Hos nisi Musa mori prohibet, fatúmque repellit,
Quis tamen aptus erit tantum sufferre laborem ?
Carmina sunt, Dreidêne, tibi, sed pectora desunt.
Tu quia captus eras animo semel, ista luenda est
Pœna tibi, ne post iterum resipiscere possis,
Corruptíque graves animi reparare ruinas.
Cætera muta manet tacitâ sine murmure linguâ,
Pegaseos quæ turba lacus haurire solebat.
Prospicio, latéque oculos circumfero, solum

Te video, nullûmque tibi se adjungere vatem.
Dic, age, túne tuæ Patriæ, tu Regis honorem
Magnanimi an piceis sineres latitare sub umbris?
Non mihi gratus abest animus, nec honesta voluntas,
Sed timor, ingenuúsque pudor, nimis ardua vitans
Viribus haud majora sinunt attollere nostris
Pondera; magnificos nequeo cantare triumphos,
Pennatóque gradu excelsas transcendere nubes,
Mecum habito, & novi quam sit mihi curta supellex,
Nostráque se spatio quam Musa coërceat arcto.
Lusibus atque jocis gaudet, non audet in altum
Surgere; & ex facili deductum dicere carmen
Gestit, uti spatiis loca per distantia vastis
Nuncia amicitia veniat, redeátque benignæ
Litera. Sed vates resonant graviore cothurno,
Cum fera bella canunt, & partam sanguine laurum.
Heroûm celebrare genus, bellíque labores
Dicere, Pierio mens tacta requiritur œstro.
O quæ magnificum vultus regalis honorem
Pingere verba valent, vivámque referre figuram?
Cum fumo & cinere obductus, violenter in hostem
Irruit, & qua tela videt densissima tendit,
Perrumpens nitido florentes ære phalanges,
Quam libet ille humero accepit grave vulnus adactum
Fulminei fervore globi, pro gente Britannâ
Dum pius ille parens in apertà periculà currit:
Quem, dum limitem agit ferro, mediósque per hostes
Rumpit iter, nequeunt cohibere, aut sistere cursum
Robora juncta simul Franci Stigiíque tyranni.
O cui dat titulum Dorsetia, tollor in altum,
Accipiúntque novum corda inflammata vigorem.
O si nunc animo vires & robora nostro

Suffi-

Sufficerent, ſpecioſam hanc ut ſpectare figuram,
Det pictura loquax, facundæ gratia linguæ!
Frontis honore jovi, vultu inceſſúque Gradivo
Belligero par ille foret, ſcenámque decoram
Delapſa æthereis decorarent numina regnis.
Aſpice, nonne vides Boyni ſtet ut ante fluenta,
Et, quo quemque modo fugiántque ferántque laborem,
Militibus det jura, oculis late omnia luſtrans,
Atque armata notet vultu caſtella ſereno,
Incertáſque vices, dubiíque pericula belli
Secum agitet, laudúmque ingenti ardeſcat amore
Bella patrare avidus, Regalem & figere ſedem?
Undique ſe innumeræ fundunt in cornua turmæ,
Stantque ſimul, ſtrictíſque ſeges mucronibus horret
Ferrea, ſeque parat, regale capeſſere juſſum.
Tympana jam ſopita jacent, ſonitúſque tubarum,
Et pugnacis equi fremitus, nec murmure vaſto
Ferrum ignemque cavo clauſus vomit æſtus aheno:
Armorúmque fragor pariter clamórque virorum
Undíque ſupprimitur, vox nulla ſilentia rumpit,
Conticuere omnes, intentíque ora tenebant,
Cum dux magnanimus ſic ora in verba reſolvit,
Bellorum ô Socii, nunc ô mea terga ſecuti,
Littore in hoc alacres, hoc ipſo in littore, vaſtæ
Vos mecum Europæ titubantia figite fata.
Vobis prompta meo imperio parere voluntas,
Anglica Terra meum gladium ſibi vendicat: illam
Incolumem ut faciam, curam ſtudiúmque tuebor
Principis, atque etiam generoſi militis inſtar,
Objiciam letho caput, occurrámque periclis.
Hac rivalis ego impatiens in parte laborum,
Quicquid habent homines carum, vel amabile, quicquid

Libertas, pietatis amor, vel jura requirunt,
Verſate ante oculos, animóſque in prælia veſtros
Hæc acuant, nullum pigeat ſubiiſſe laborem,
Nulla pericla pati, ut fœdo ſervetis amatas
A ſtupro uxores, infeſtíſque ignibus urbes,
Ut patriæ ſervile jugum excutiatis, & illam
Perpetuo hinc decoret clarum & memorabile nomen.
Queſtibus hujus ego miſeris in tempore fuſis
Concitus, ambigui tentare pericula fati
Auſus eram. Adverſis fluctus agitantibus auſtris,
Æquoreos percurro lacus ſub ſydere brumæ,
Huic requiem ut noſtri poſſent afferre labores.
Dent Reges alii, martis terrore remoti,
Militibus præſcripta ſuis formidine turpi
Ignavam & peragant per amæna palatia vitam,
Enſe meo, nunc enſe meum teſtabor amorem
In populos, quos cerno mihi parere volentes,
Pro quibus. Aſt ego cur victricia demoror arma?
Pergite, dux ego veſter ero, & mihi junctus ab alto
Angelus aſtrigeri demiſſus culmine regni.
Dixerat, atque viris nova vis, nova gaudia cunctis
Inſinuant, ſimul omnis abit formido pericli,
Præcipitíque ruunt Boynæa in flumina curſu,
Ac neque eos jam turba virûm, nec flammeus imber,
Non ſcopuli rupeſve cavæ fluctuſve retardant.
Ducit iter Rex ipſe, alios rex incitat omnes,
Atque ſuo innumeras inflammat nomine turmas:
Qualiter Oceanus ſolito cum limite rupto
Fertur in arva furens cumulo, campóſque per omnes
Cum ſtabulis armenta, greges, pecudéſque viróſque
Atque urbes villáſque trahit, dat & ille ruinas
Arboribus, ſtragémque ſatis, ruit omnia latè.

Sic

Sic Legio Angligenûm medios volitavit in hostes,
Rex tamen ante alios, decimæ velut impetus undæ,
Viribus atque ætate ferox, & pectore firmo
Perſequitúrque fugam violentus, & agmina curru
Proterit, aut raptas fugientibus ingent haſtas,
Aut ſubito in medios cecidit, ceu fulgura, vultus.
Siſte gradum, Rex, ſiſte gradum, compeſce furorem
Fulmineum, Famæque tuæ, Terræque Britannæ
Hactenus ambigui toties diſcrimina belli
Te ſubiiſſe ſat eſt. Centro te ſtare memento
Europæ in medio, & variis te gentibus unum,
Quæ paſſim hoc trifidæ ſparguntur limite Terræ,
Jura dare, imperióque tuo frænare volentes:
Aurea quippe tuo a ſolio demiſſa catena eſt,
Quæ totam hanc noſtri fabricam ligat undique mundi,
Quam ſi fatifero bellum dirumperet ictu,
Tota Europa ſimul traheret labefacta ruinam.
Siſte gradum, Rex, ſiſte gradum: ſuper æquora puppes,
Et ſuper arva ſuas turmæ reparare ruinas
Armiferæ poterunt, veteréſque reſumere vires.
Sæcula, quem dedit una dies, vix reddere poſſunt.
Cernis ut horriſonos vaſto cum murmure fluctus
Tollat in aſtra ruens rabioſi inſania Galli,
Et ſibi præſcriptis cohiberi neſcia metis
Littora tranſiliat, tamen hanc ſine lege ruentem
Et premere, & firmis tibi preſſam aſtringere vinclis
Optimus ille dedit magni Regnator Olympi.
Vix ea victa jacet rabies, cum rurſus inundant
Agmina Gallorum ſine lege aut limite certo,
Europámque novis iterumque iterumque ruinis
Involvunt, nullâſque pati dignantur habenas.
Siſte gradum, Rex, ſiſte gradum. Quid? languida tandem

An tua musa jacet? Perge enarrare triumphos.
Ah nequeo, mihi corda labant, vires que relinquunt,
Fervidus ille calor, quem nunc frigescere sentis
Abstulit attonitum.
An, mihi Pierii stimulus cum deficit cestri
Grande sonare datum, & tragicos æquare cothurnos?
Ergo in me redeo, & mihi quæ genitiva resumo,
Carminibúsque tuam plebeis provoco Musam,
Ut resones majore tuba tam nobile bellum.
Atque utinam plures parerent hæc tempora vates,
Multiplicata tuæ ut videatur vena camænæ
Quod si progenitus Gallorum in gente fuisset,
Nassovia de stirpe satus venerabilis Heros,
Quanta O Laurigeræ furiasset millia turbæ,
Quotquot ubique suis lymphaм tetigere labellis
Aoniam! Inter eos generat memorabile nomen
Oppida furtivis aliena invadere nummis:
Transilit hoc subito reges & regna triumpho,
Virtutísque tenens rutilis captiva catenis
Colla trahit. Si fortem animum queat addere, sicut
Copia purpureos nummorum nutrit alumnos,
O quanto hoc emeret, de se ut sua Gallia verè
Diceret, hoc ductore, viam victoria pandit?
Omnes ille suos una hac mercede triumphos
Venderet, accipiens generosum ac nobile vulnus.
O quanto procerum, quanto molimine fratrum,
Gaudia, certantum veras diffundere laudes,
Inter Verellas & mænia Notrodami,
Innumeræ ferrent tabulæ innumeræque referrent!
Hoc quoque comœdis, tragicisque hoc adderet ignem;
Hoc etiam plateæ resonarent vulnere cunctæ.
Prælia personis, pictoribus atque poëtis

Materiam Boynæa darent; humeróque liquores
Coccinei fluerent, veluti de fonte perenni.
Flumina quinetiam tanto transmissa periclo
Boynia Boylææ cumularent sydera plumæ.
An taciturna tuam cohibere silentia Musam
Jam possnnt? age, tecum, animo, quæ dico revolvas.
Cur tu hortare meas opus hoc tentare camænas?
Ut bene cæpisti, perge & superadde coronam
Huic operi, in medióque tuam ne destrue laudem.
Sic erit ille tuus labor omni ex parte peractus.
Nil actum est, nondum primos mea dextra colores
Disposuit, multóque magis præclara supersunt,
Orè indicta meo, numeróque carentia laudum
Agmina se ante oculos veniunt glomerantia nostros.
Præcipuè Regina suo pulcherrima vultu
Adderet huic ingens operi decus, horrida visu
Prælia sæva suæ molliret imaginæ formæ.
Quis reticere potest Reginam ut sedula pingat
Artifici Natura manu, luménque juventæ
Purpureum, & lætos oculis afflarit honores?
Illa ingens decus, & formosi gloria sexus,
Illa est æquoreos inter diva una Britannos.
Ecquis non meminisse potest, quæ nuper in illa
Reddidit attonitos regalis gloria cunctos?
Dum timet absenti dubia inter bella marito,
Et tamen interea nostri moderamina regni,
Prudenti regit illa manu, frontémque serenans,
Vultu & spem simulans premit altum corde dolorem.
Quo propius discrimen erat, majora capessit.
Atque animo nullis fuerat dejecta periclis,
Sed trepido terrore trucem circumsonat hostem;
Se memor esse sui positam in statione mariti.

At nunc lætificis tectum regale ferenat
Vultibus, angelico jaculatur fulgura visu;
Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros, quam mille secutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades, illa pharetram
Fert humero, gradiensque deas supereminet omnes.
Talis & exsuperat pulchram Regina choeram,
Pulchrior ipsa, sui radios dum spargit ocelli.
Talia, Vir, cello procerum de sanguine, poscunt
Ingenii quodcunque potes molimine vasti.
Talia quippe nefas manibus tetigisse profanis.
Artificem certè calamum tam sacra requirunt,
Et cauta tractanda manu, sub tegmine vocis
Abdita flexiloquæ latitare encomia debent,
Quæ finit amborum tribui sibi conscia virtus,
Queis alia ad solium patuit via nulla Britannum,
Quam meritis diadema suis acquirere justum.

FINIS.